

512  
422

≡ ⊙.

DISPUTATIO  
DE  
CERTITUDINE  
ET  
EVIDENTIA,

consensu Superiorum  
*Publicæ discussioni subiecta*

PRÆSIDE  
M. CHRISTIANO DREIERO  
Pomerano,

RESPONDENTE  
THEODORO Bähren/  
Brunsvicensi,

*ad diem XX. Aprilis.*

in Auditorio Philosophorum

REGIOMONTI,

Prelo REUSNERIANO.  
Anno M. DC. XLI.



Philos.  
B.  
04,40

413

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the name 'THEODOPO' and 'CHRISTIANO'.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



§. I.

**C**ertitudinē, de quā agunt

Philosophi in *post. Analyt.*: & in *Lib. de Anima*, Scholastici in 3 *Sentent.* in 1. *part.*: in 1. *Secūd.*: & 2. *Secūd.*: *Thomæ*, quāq; in *præsenti* contemplari fert animus, communiter dicunt, esse

determinationem ad veritatem, idq; nonnulli tam generatim accipiunt, ut & in rebus ipsis extra intellectū constitutis certitudinem quærendam esse existiment, quatenus illæ sunt extra causas, ut vult Ludovicus Molina 1. *part.*: *Quest.*: 1. *Artic.*: 5 atq; sic certitudo esset determinatio rerum ad veritatem sive determinatio effectus ad unum, quam & *certitudinem objecti* appellant, eamque oriri dicunt ex necessitate ipsius rei, si necessaria sit, ut: DEum esse, vel ex determinatione, si contingens sit, ut: Christum mundum judicaturum esse, certum est, quia à Deo decretum est. Et ferè consuetudo obtinuit, ut rem non solum, quā cognoscitur, sed & quatenus in se spectatur, certam dicamus, ut: est certum aurum, certa moneta, quamvis ignoremus, qualis sit in specie.

§. 2. Hæc autem certitudinis acceptio minus propria est, eò quòd veritas in rebus non datur, sicut nec falsitas quod apertè asserit Arist: 6. *Metaph.* C. 3 idq; patet, si attendatur ad definitionem veritatis, quæ ut communiter describunt, est conformitas cum intellectu. Jam rebus cognitio intellectus planè extrinseca est, sicut visio parieti: Quemadmodum enim paries visus dicitur, tantum per denominationem extrinsecam, sic & objectum ab intellectu cognitum. Neq;

A 2

res,

res, quando cognoscuntur, ullo modo mutantur, ut intellectui conformentur, sed tantum eidem objiciuntur; ipse autem mutatur, & rebus objectis adæquatur, ita ut res sint mensura cognitionis, non cognitio mensura rerum. Non enim propterea, quod nos te verè putamus album esse, albus es; sed propterea quòd tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus, ait Aristot. *lib. 9. Metaph. C. 10.* Formaliter igitur veritas in rebus nō est, sed ipsis tribuitur tantum materialiter & fundamentaliter, quatenus sunt tale quid, quod potest terminare veram cognitionem intellectus.

§. 3. Proinde Gabriel Vasquez in 1. part. *Disp. 68. C. 5. & in 1. secundæ, Tom. 2. Disp. 200. C. 1.* & Franciscus Svarez 1. part. *summæ Tract. 2. lib. 2. C. 2. num. 2.* statuunt certitudinem & infallibilitatem esse proprietates actuum intellectus; objecta autem non dici propriè certa, aut infallibilia, sed contingentia vel necessaria. Atq; hęc ratione non nisi valde impropriè res extra cognitionem certæ dici possunt. Etsi igitur receptam loquendi consuetudinem non improbamus, cujus ratio hęc esse potest, quòd res sunt mensura & fundamentum certitudinis intellectualis; in generali tamen ista significatione certitudinem hoc loco non accipimus, sed ut propriè sumitur, atq; hoc modo non rebus extra mentem, sed operationibus tantum animæ rationalis tribui potest, quarum est determinatio & aliàs *certitudo subjecti* dici consuevit.

§. 4. Novimus autem, duas esse animæ rationalis potentias, independentes ab omni materia operantes, intellectum, qui cognoscit objecta, ut vera sunt seu veram opinionem fundare possunt; & voluntatem, quæ amat objecta ut bona sunt. Ultraq; sese exerit per distinctos actus; intellectus recipit species intelligibiles, easq;

easq; contemplans cognoscit; voluntas quasi egreditur ad objectum amabile, eidemq; firmiter adhæret. Voluntas quia formaliter libera est, non minus, imo magis indifferens est ad objectum amandum, quam intellectus ad objectum cognoscendum; non tamen certa dicitur, ut intellectus, quia non determinatur ad verum, ut verum est, sed ad bonum, ut bonum est: Dicitur autem certitudo in genere determinatio ad veritatem.

§. 5. Quare licet voluntas vel amore, vel spe, vel fiducia firmiter adhærescat objecto, non tamen proprie certitudo istis actibus, ut à voluntate eliciuntur, tribui potest, nisi quatenus conjunctam habent, quam & præsupponunt, cognitionem intellectus. Unde Bellarminus *lib. 3. de Justific. C. 2.* nescio quam certitudinem spei certitudini fidei contradistinctam introducit, quam dicit duplicem esse, unam ex parte voluntatis, ad rem speratam firmiter adhærentis; alteram ex parte intellectus ex conjecturis quibusdam colligentis: cum tamen actus voluntatis in se simpliciter spectati, certi dici non possint, nisi improprie & abusive, quia non determinantur ad veritatem; ne dicam, quod & ipsi intellectui, ut notitiam mere conjecturalem habet, qualem Bellarminus ibi considerat, certitudo proprie tribui non possit. Relinquitur igitur, certitudinem esse determinationem actuum intellectus ad veritatem, seu ad verum, ut verum est, sicut optimè definit Hurtadus de Mendoza *Disp. 8. de Anima, Sect. 4. § 23.* sive actus isti sint speculativi, sive ad praxin dirigantur. Non solum enim speculativus, sed & practicus intellectus ad verum determinari potest.

§. 6. Sunt autem actus & operationes intellectus triplices: simplicium terminorum apprehensio, com-

A 3

posi.

positio vel divisio, & syllogismus. In secunda & tertia quod certitudo detur, nemo negat, nisi fortè Sceptici & Academici, quos manifesta refellit absurditas, cum tollant prima cognitionis principia, adeoq; nec ipsi sciant, quid dicant. Si enim nihil certum est, nec certum est, quod ipsi dicunt, nihil certum esse. Sed de prima operatione dubium esse potest, eò, quod Aristoteles asserit, in eà nec veritatem nec falsitatem esse. *Lib: de interpret: C. 1.* apertè dicit, verum & falsum in compositione & Divisione consistere, & *lib. 3. de Anima, cap: 6. r. 21. 22.* ait, in ijs, in quibus falsum & verum est, compositionem quandam jam esse conceptuum intellectus, imo falsum in compositione semper esse. *Lib. 6. Metaph: c. 3.* probat, veritatē solū esse in intellectu, quia in eo tantū sit compositio & Divisio. Similia habet *Lib: 9. Metaph: Cap. ult.*

§. 7. Et de falsitate quidem res plana est, quod ea in prima operatione non detur, scilicet in apprehensione unius termini, vel subjecti vel prædicati. *Mendoza Disp: 9. de Anima, Sect: 2. §. 6.* id probat, quia actus ille, cum aliquid repræsentat v. g. hominem aut brutum, aut repræsentat rationem hominis, vel bruti, aut non. Si primum dicatur, utiq; conformatur objecto, & proinde falsus non est; si secundum, ne quidem hominem apprehendit, sed aliud objectum, ut lapidem vel arborem, eiq; conformatur, atq; sic iterum falsus non est. Licet enim nō sit conformis ei objecto quod quis cognoscere intendebat, conformis tamen est isti objecto, quod repræsentat. Neq; propterea actus, quo quis apprehendit lapidem è longinquo positum, pro homine, falsus dicendus est, quod non apprehendat id, quod quis cognoscere intendebat; sed tantū is, qui objectum alienum apprehendit, non obtinuisse, quod volebat. Si verò jam dicatur homo, quod ho-

mo

418.  
mō nō est, statim fit compositio, quæ pertinet ad secū-  
dam mentis operationem, in eaq; reperiri falsitatem in-  
confesso est.

§. 8. Quamvis igitur falsitas in simplici notitia nō  
detur; veritatem tamen in eā locum habere, non pauci  
defendunt, inter quos sunt Franciscus Svarez *Disp: 8.*  
*Metaph: Sect: 3. num: 12,* & Petrus Fonseca *lib: 4. Metaph.*  
*C. 2. quæst: 6. Sect: 5.* Hi proinde ex Thoma Ferrarien-  
si dicunt, Aristotelem in citatis locis tantum velle, ve-  
ritatem esse in compositione & divisione, objective  
seu inesse cognito, in simplicium autem apprehensione  
subjective vel inesse simpliciter. Sed, an hoc Aristo-  
telis sententiæ conforme sit, non immerito aliquis  
ambigere posset: quandoquidem sine ullâ limitati-  
one indivisibilium notitiæ veritatem detrahit, & com-  
positioni vel iudicio adscribit, imo bonum in eo veri-  
tati opponit, quod illud est in reb<sup>9</sup>, hæc in intellectu, *lib: 6.*  
*Metaph: C. 3.* At si verum in esse cognito intellige-  
ret, nulla esset oppositio, cum æquè bonitas, quàm ve-  
ritas in esse cognito sit in intellectu.

§. 9. Existimo igitur alteram sententiam, quod  
veritas, uti & falsitas in simplici notitia proprie locum  
nō habeat, probabiliorem esse. Eamq; defendit Tho-  
mas de Vio Cajetanus *1. part: quæst: 16, art: 2,* & alij, quos  
citatur Svarez *Disp: 8. Metaph: sect: 3,* item Vasquez *in 1.*  
*part: Tom: 1. Disp: 75,* qui tamen dicit, controversiam po-  
tius verborum, quàm rerū esse; & est communior Scho-  
lasticorum opinio. Hanc propterea amplectimur, quia  
non solum magis congruit ad mentem Aristotelis, sed  
& res ipsa eā præferendam esse, ostendit. Eatenus enim  
res vera dicitur, quatenus non est ficta, sed talis, qualis  
esse dicitur; ad quod requiritur comparatio rei cum  
re, seu prædicati & subjecti, ut: nos verum aurū dicim<sup>9</sup>,  
quia

quia uti cognoscimus ita est, atq; sic aurum cum nostro conceptu comparamus, in quo actu comparante & cōponente demum veritas est formaliter. Nec obstat, quod conformitas quædā detur in primâ mentis operatione. Illa enim non sufficit, aliàs & in specie intelligibili, & in sensibus, imo & rebus omnibus, quæ similitudinem inter se habent, veritas daretur formaliter, adeoq; & sensibus & rebus ipsis inesset, imo & vocibus simplicibus, quæ pro notitia simplici substituuntur, ut patet ex *lib: de Interp: cap. 1.* quas tamen simpliciter veras non dicimus, sed tum demum, quando inter se comparantur, & ex ijs fit integra propositio.

§. 10. Quia igitur in notitiâ simplici veritas propriè non datur, sequitur quòd nec certitudinis capax sit, quæ est determinatio intellectus ad veritatem. Determinari autem ad veritatem non potest, quod ad eam recipiendam nullam habet aptitudinem. Et in primis, qui de aliquâ re vult certus esse, ille eam cum aliâ contendere, & de eâ aliquid affirmare vel negare, interdum etiam rationibus induci cogitur: nec ullus dicere potest, se certitudinem rei habere, antequam de eâ aliquid affirmet vel neget, ut: apprehendens hominem, ut hominem, certus non est, nisi cum asserit aut cogitat, id, quod apprehendit hominem esse non brutum vel lapidem. Patet igitur, quòd actus compositionis divisionis & discursus tantum propriè certi vel incerti dici possint.

§. 11. Porrò cum intellectus determinatus dicitur, nihil aliud intelligitur, quàm quod jam eliciat actum assensus, quo uni parti contradictionis adhæreat: Quamdiu enim adhuc inter utramq; partem versatur, dubius & incertus est, ut: numerus stellarum est par, numerus stellarum non est par; ex quibus neutri parti adhære

hære



hæerere tutum est. Actus enim intellectus actui certo oppositus, est, cum intellectus judicat, neutram partem contradictionis satis ostendi, & neutri esse præbendum assensum. Quò spectat & formido & suspicio, quibus actibus judicamus de cogitationibus nostris, easq; falsitatis arguimus, atq; sic pugnant cum certitudine. Actus enim formidans judicat opinionem, cui assentimur, posse esse falsam; suspicio est actus intellectus, quo per conjecturam probabilē opinamur, hoc vel illud esse vel fieri, v.g. si quis cogitet, hunc vel illum homicidam esse, quia eo præsentē cadaver sanguinem stillet, vel aliæ leves conjecturæ adsint, quæ cum firmiter intellectum determinare non possint, suspensus hæret animus inter duas contradictorias, ita tamen, ut quandantenus in unam partem inclinet ob conjecturas vel probabilitatem.

§. 12. Itaq; fieri potest, ut quis assensum præbeat, illi parti contradictionis, quæ falsa est, existimans eam veram esse, quia & veritas interdum apparens esse potest, sicut bonum tanquam objectum voluntatis interdum apparens est. Et quia in ejusmodi actu nunquam omnis formido & hæsitatio excluditur, hæc quædam certitudo dici solet, scilicet *adhesionis simpliciter*, vel *ex proæresi*, ut: si quis indubitato statuat, non dari antipodes, sicut olim Pontifex Vigilium damnavit, quod statueret esse antipodes: vel si hæreticus sine hæsitatione suis assentiatur erroribus. Attamen propriè certitudo non est, quia intellectus determinatus quidem est, sed non ad veritatem, seu conformitatem cum re ipsa, & quod non hæsitat, non provenit, ex certitudine, sed temeritate vel errore, ut cōmodè explicat Mendoza *Disp: 8. de Anima, Sect: 4. §. 22.*

§. 13. Deinde evenire potest, ut intellectus assensum

Benedictus

sum

sum præbeat illi parti contradictionis, quæ vera est, non quòd determinatus sit per medium quoddam infallibile, sed tantùm ex accidente, quia conjecturis quibusdam, vel etiam imperio voluntatis inductus amplectitur illam partem, quæ vera est, eiq; firmiter adhæret; & hæc itidem certitudo dici solet, cùm sit determinatio ad veritatem. Attamen nec illam propriè dictam certitudinem putamus, proptereâ quòd sub ratione illâ, quâ quis persuasus est, possit stare falsitas, quia ex se insufficientis est ad intellectum determinandum, & quod quis verum cognoscit, ex eâ non nisi per accidens provenit. Unde quamvis sic intellectus veritatē attingat, certus tamen propriè non dicitur, quia per mediū propositum non sufficienter ad veritatem determinatus est, veluti scopetarius, qui non artis ductu, sed fortè fortunâ aliquando scopum ferit, certus dici non potest. Et proinde veritas tam immutabiliter cognitioni cōpetere debet, ut propter medium vel causam, unde oritur, falsa esse non possit: si quidem accuratè loquendo certa, seu exploratè vera dicenda sit, cuius oppositum immeritò contra Scotum *Lib: 3. de Naturâ & gratiâ, c. 10.* asserit Vasquez in *secundæ Tom: 1. Diss: 200. cap: 1.*

§. 14. Hæc clarius patefcent, si attendamus ad causas, à quibus determinatio vel assensus intellectus pendet. Ubi imprimis notandum, quòd intellectus non sit potentia formaliter libera, ut positis omnibus ad agendum requisitis adhuc possit suspendere actionem quemadmodum voluntas positis omnibus requisitis adhuc potest agere, & non agere, sed necessitate naturæ adactus intelligit, ut ignis necessariò urit, oculus necessariò videt, si nihil sit quod impediat. Duplex hæc est necessitas, quoad speciem actus, seu specificationem, cui opponitur libertas contrarietatis; & quoad exercitiū, cui opponitur libertas contradictionis. Utroq; modo ne-

do ne-

do necessitas assentiendi offerri potest intellectui, quoad speciem actus, ut statuat aliquid verum esse, non falsum, ut: Deum esse amandum; & quoad exercitium, ut elicere actum intelligendi cogatur, eumq; suspendere non possit, ut: in hac propositione: bis duo sunt quatuor; si termini explicentur, & intellectus tam subiectum, quam praedicatum cognoscat, non potest assensum subtrahere. Si autem non satis clare & sufficienter objectum proponatur, aequè non determinabitur ad intelligendum, quam oculus ad videndum, si corpus debito modo visui non objiciatur.

§. 15. Jam omnis nostra cognitio incipit à sensibus, non quidem hac ratione, quod nihil cognoscatur ab intellectu, nisi prius à sensibus cognitum fuerit, sed quod cognitio aliqua sensus, tanquam conditio sine, qua non, praerequiratur. Et haec sensualis cognitio omnem dubitationem & formidinem excludit, ipsamq; veritatem exactè attingit. Neq; enim aliquis negabit, hominem esse bipedem, parietem esse album, cum id videt, vel ignem esse calidum, cum id sentit, nisi forte omnem in universum cognitionem è medio tollere velit, qualis homo poenâ potius ob malitiam, vel commiseratione ob ἀγέωσιαν *diavolus* dignus esset, quam refutatione. Igitur per ejusmodi cognitionem primum omnium determinatur intellectus, idq; hac ratione, ut si nullum obstaculum interveniat, à veritate dissentire non possit. Et haec *certitudo sensualis & experimentalis* dici solet.

§. 16. Per cognitionem sensuum devenimus in notitiã primorum principiorum, non solùm secundorū, quæ per alia priora probari possunt, sed & primorū, qualia sunt: Impossibile est idem simul esse & non esse; totum est majus parte; ab æqualibus si equalia demas, quæ

B 2

rema-

remanent, sunt æqualia, & similia, quæ tum in Metaphysicis, tum in contemplatione de animâ explicantur. Ea enim sensu inductione & experienciâ cognoscuntur, ut docet Arist: *Lib: 2. post: Analyt: Cap: ult:* Ex sensu oritur memoria, ex memoriâ aliquoties repetitâ nascitur experientia, ex experienciâ proficiscuntur omnis artis ac scientiæ principia, ut ibidem loquitur. A singularibus enim, quæ sensu cognoscuntur, intellectus ascendit ad communes, inde ad communissimas latissimeq; patentis notiones, atq; sic in principiorum cognitionem paulatim deducitur. Hæc principia prima a deo nativâ luce radiant, ut, quàm primùm intellectui debito modo proponuntur, per se ipsa eum ad assentiendum determinant & cogant; neq; ullum probandi medium requirunt, sed tantùm declarationem terminorum, ut quid ab aliquo in tali propositione dicatur, cognoscatur. Apud omnes igitur, quibus sanum est principium, suâ claritate fidem & assensum merentur, & a deo determinant intellectum ad veritatem, ut non possit non assensum præbere. Quæ certitudo intellectus speciatim appellatur.

§. 17. Per principia porrò deducimur in notitiam conclusionum, quæ non per se ipsas, sed per medium demonstrationis, quod cum conclusione necessarium nexum habeat, ut eam inferat eò, quia prius positum est, cognoscuntur. Tale medium est initio principium contradictionis, super quo si argumentatio manifestè fundetur, necessario vera est, ut: Omnis mutatio est inter contraria; probatur, quia si hoc falsum esset, sequeretur aliquam mutationem non esse inter contraria, sed inter eadem, quod absurdum: Si enim mutatio est, non manet res eadem: Impossibile enim est, idem simul esse, & non esse. Deinde ejusmodi media sunt  
po-

2424

positiones necessariae, immediatae, & causae conclusio-  
nis, ut: Omne terreum tendit deorsum, quia est gra-  
ve. Gravitas enim causa est motus deorsum. Et haec  
perfectissima demonstratio est, per quam aliquis cog-  
noscit non solum, quod res sit, sed & cur sit, ut ita pe-  
nitus appetitum sciendi expleat: Cum enim intellectus  
causam proximam novit, cur res sit, nihil desiderat am-  
plius. Porro medium tale est effectus necessarius de-  
monstrans causam sicut ex effectibus Deum esse col-  
ligimus, e fumo ignem, e signis morbum, quae probatio  
licet non possit satiare appetitum sciendi, & propterea  
regressu demonstrativo opus habeat, necessitate tamen  
assentiendi affert. Denique inter haec media esse potest  
causa remota, si ab ejus negatione ad negationem effectus  
fiat collectio, ut: lapis non est animal, E. non respirat.  
Per haec media igitur infallibiliter cognoscitur veritas,  
& intellectus, modo omnia plene percipiat, adeo deter-  
minatur, ut nec suspendere assensum, nec actum falsum  
elicere possit. Et haec *certitudo scientiae* vocatur.

§. 18. In hac cognitione experimentali, primorum  
principiorum intellectus, & scientifica conclusionum  
non solum certitudo, eaque infallibilis, ut ex dictis con-  
stat, sed & *evidens certitudo* datur. Id quod de experi-  
mentali notitia ambiguum esse non potest, cum evi-  
dens appellemus, quod per visum cognoscimus, seu  
quod tam clarum est, quam quod oculis cernitur, sum-  
pta a visu denominatione: experimentalis autem cog-  
nitio visu maxime nititur. Pariter intellectus tam cla-  
re perspicit suum proprium objectum, quam oculus lu-  
cem aut colorem. Neque enim dici vel cogitari potest,  
quid ad veritatem istarum propositionum cognosce-  
dam amplius requiratur, & aequè, imò magis insanum  
hominem illum dicimus, qui prima principia negare  
velit,

velit, quàm qui aliquid neget, quod per sensus manifestum est. Unde sequitur, quod & conclusiones ex principiis necessariò deductæ tam clarè proponantur intellectui, quàm lux vel color oculo. Qualia enim sunt principia, talem & conclusionem faciunt, si debito modo applicentur, ut propterea in ipso vulgari usu loquendi ejusmodi conclusiones cum luce meridianâ comparari soleant, cum eâ sæpe clariores dicuntur.

§. 19. Proinde ut certitudo, sic & evidentia hæc distinguitur, ut alia sit experimentalis, quâ res videtur oculis seu iudicio sensuum; alia intellectus seu intelligentiæ, qua prima principia in se videntur; alia scientiæ seu conclusionum, qua res videtur non in se, sed in suis principiis. Et hæc iterum duplex statuitur, physica, cum res ex principiis naturæ ita manifesta est, ut secundum communem naturæ cursum aliter se habere nequeat, ut si quis videns corpus occupare locum, inferat, aliud corpus simul in eo esse non posse; & Metaphysica, cum ex principio contradictionis res ita ostenditur, ut ejus oppositum planè repugnantiam involvat, ut: Deus est, Deus non est causa peccati. Et huc referri solet evidentia primorum principiorum, sicut evidentia experimentalis reducitur ad evidentiam physicam. Primum tamen certitudinis & evidentie gradum tenet notitia principiorum, secundum scientificam, tertium demum experimentalis vel sensualis: Quia quo quid intellectui est propinquius, eo notius scilicet naturâ. Notitia autem sensuum remotissima est ab intellectu. Sic igitur intellectus evidenter & infallibiliter certus redditur omni formidine exclusâ, ut tutò quis asserere possit, hoc vel illud verum esse.

§. 20. Hæc certitudine infallibili atq; evidente, cognoscuntur ea omnia, quæ per scientiam & experientiam

tiam

tiam innotescunt, ut quòd vivimus, nos movemur, lo-  
 quimur, & quicquid tandem agimus, ipsi etiam actus  
 intellectus & voluntatis, quod sciamus, credamus, ap-  
 petamus, ac desideremus aliquid, ex quorum actuum  
 reflexâ cognitione, evidentiam dari probat *Mendoza*  
*Disp: 8. de Animâ, Sect: 1. §. 1.* Nec dubium esse potest.  
 Si enim nobis non constaret evidenter, nos intellige-  
 re, credere, velle, cùm tales actus elicimus, nemò tam  
 audacter naturæ quodam instinctu id assereret, scilicet  
 se scire, credere, velle; aliumq; qui contrarium persua-  
 dere conaretur, risu dignum putaret; nemo cum altero  
 disputare & sententiam suam defendere posset, quan-  
 doquidem certò non sciret, quid statueret vel crederet,  
 & quæ tandem maneret certa notitiâ?

§. 21. Sic cognoscitur non solùm fides humana,  
 cùm credimus id, quod homines dicunt, sed & divina  
 & salvifica, quâ Deo & in Deum credimus, quod innuit  
 Apostolus *2 Cor: 13: vers. 5.* cùm præcipit, ut nos ipsos  
 tentemus & probemus, an simus in fide. Idem clarè  
 asserit Augustinus *Lib: 13. de Trinit. Cap. 1.* Suam quisq;  
 fidem, ait, in se ipso videt, item eam tenet certissimâ sci-  
 entiâ: Et rursus: ipsam fidem, quando inest nobis, vi-  
 demus in nobis. Ex scholasticis hoc ipsum defen-  
 dit quoad actum fidei cardinalis Bonaventura *in 3. Sent:*  
*Disp: 23. Dub: 4.* & Gabriel Vasquez *in 1. Secundæ, Thomæ*  
*Disp: 201. Cap: 2.* scilicet quemlibet fidelem, quæ ipsius  
 verba sunt, non solùm certâ & infallibili, sed etiam evi-  
 dente notitiâ & assensu cognoscere, se habere fidē quâ  
 credat tum mysteria illa non posse habere se re ipsâ ali-  
 ter, quàm ei dicta sunt, tum etiam à Deo revelata esse,  
 qui mentiri aut decipi non possit. Idq; probat hâc  
 ratione: Quia quisq; in se evidēter experitur assensum  
 fidei, quem habet de aliquâ re; fidelis autem habet  
 assen-

assenfum de mysteriis, ut ea tanquam à Deo revelata accipiat, tum etiam ut credat, ea esse vera, & non posse aliter esse, quàm dicuntur & creduntur.

§. 22. Bonaventura idem probat, primo: quia omnis fidelis Christianus paratus esse, debet ad negandam omnem rationem potius, quàm ab eo, quod credit discedat. E. habet certitudinem de suâ fide supra omnem certitudinem. Deinde quia alioquin dubitare posset, an fidei suæ posset subesse falsum, quod esset genus infidelitatis, Nam dubius in fide, infidelis est. Contrarium quidem asserit Scotus, verùm non quoad infallibilitatem sed tantùm quoad evidentiam. Statuit enim, quòd quidem notitiâ infallibili cognoscamus, nos credere, attamen non evidente, quem loco citato refutat, Vasquez. De actibus autem voluntatis dubitat idem Vasquez, ut de dilectione, contritione & aliis, an de ijs certitudinem evidentem habere possimus, scilicet, quia videt, id receptæ suorum sententiæ de incertitudine gratiæ adveriari: attamen subjicit de spe catholici & universali, quia maximam habeat cum fide nostrâ connexionem, eandem posse nos habere certitudinem. Nos cum Augustino *Lib: 8. de Trinitate Cap: 8. in principio*, dicimus: Nemo dicat, non novi, quod diligam, diligat fratrem, & diliget eandem dilectionem. Magis enim novit dilectionem, quâ diligit, quàm fratrem, quem diligit.

§. 23. Cæterùm si medium probandi sit remotum, commune non habens necessariam connexionem cum conclusione, propendere quidem faciet intellectum ad veritatem, interdum etiam determinabit, sed necessitatem assentiendi ei afferre nō poterit. v.g. si quis probaret hominē adesse quia animal bipes adsit, principiū remotum & commune adduceret, quod accedentibus præ-

præ-



2428.

præsertim & alijs signis atq; affectu voluntatis inclinare & determinare intellectum posset, attamen non exclusâ omni hæsitatione & formidine. Atq; talia probandi media opinionem gignunt, quæ deducitur ex principijs rei veritatem aut falsitatem evidenter non ostendentibus. Huc spectant omnia argumenta, probabilia, quæ vera videntur vel omnibus vel pluribus, vel sapientioribus; omnes regulæ communissimæ, quæ in Topicis tradi solent ad dissertationem probabilem: Hæc enim necessitatem assentiendi inducere non possunt, nec infallibiliter intellectum ad verum determinare. Unde & hæc cognitio accuratè loquendo certa non est, cum per illam nemo dicere possit, hoc vel illud exploratè verum esse: Apellari tamen solet *certitudo opinionis*.

§. 24. Inter ejusmodi remota probandi principia est etiam testimonium, quo itidem intellectus inclinari & determinari potest, sed necessitas assentiendi ipsi simpliciter non affertur, multò minus appetitus sciendi expletur, eò quòd non per principium proximum, cum re essentialem & necessarium nexum habens, conclusio demonstratur, sed tantùm per testimoniũ, quod extrinsecum & accidentale est. Unde & scientiam non gignit, sed fidem, quæ in genere est assensus aut dissensus ob testimonium. Duplex autem testimonium est, humanum & divinum. Illud quia ab homine proficiscitur, qui falli & fallere potest, fidem humanam gignit, quâ statuimus aliquid verum esse ob testimonium hominum, quod cum sine omni formidine & hæsitatione intellectum ad veritatem non determinet, huic fidei potest subesse falsum, nisi fortè illud valde confirmatum fuerit, ut: si omnes, vel pleriq; in orbe,

C

qui

qui in unum convenire non potuerint ad mentiendū, aliquid testentur, sicut novimus ex tali testimonio fuisse Platonem, Socratem, Aristotelem insignes viros; vel Persas à Græcis apud Marathonem & Salaminem, Romanos ab Hannibale ad Trasimenem & Cannas devictos esse; item esse in Ægypto Alexandriam, Hierosolymam in palæstina; vel scripta Historicorum, Patrum, & Scholasticorum veterum, quæ jam manu terimus, esse illorum, quorum nomina præ se ferunt; imò & scripta Prophetarum & Apostolorum, quæ eo nomine ab Ecclesia proponuntur, ex hoc testimonio (nō exclusis mediis alijs) infallibiliter cognoscimus.

§. 25. Atq; hæc est propriè dicta infallibilis certitudo, quæ fluit ex testimonio humano, non tamen ut tali, sed quatenus aliunde confirmatum est: neq; enim talis assensus simpliciter testimonio nititur, quod omnino fallabile est, sed repugnantia physicâ, quâ novi nō potuisse tot homines convenisse ad mentiendum, aut induci ad fallendum alios, ut probat Mendoza *Disp: 8. de Anima, sect: 3. §. 17, 18.* Et hæc ratio est, propter quam nemo sanus testimonium antiquitatis, debito modo adhibitum, rejicere possit aut debeat, nisi fortè & illos autores, ex quibus suam cognitionem petit, aut quorū scripta tanquam principia præsupponit in dubium vocare velit, & eadem machinâ, quâ antiquitatis consensum oppugnat, dejicere.

§. 26. Testimonium divinum gignit fidem divinam, quæ in genere est assensus vel dissensus ob testimonium divinū, & quia testimonio Dei nititur, idque pro principio & objecto habet, divina dicitur. Sic statuimus Deū velle omnes homines salvos fieri, Christum mundum judicaturum, imò omne id verum esse, quod

430.

quod in scripturâ Canonica dicitur, quia novimus in eâ  
revelationem divinam contineri. Primum enim,  
per se creditum in assensu cujusq; mysterij est comple-  
xum illud: Deus dicit. Et quia Deus mentiri, & se  
ipsum negare non potest, fides hæc planè infallibilis est,  
adeoq; intellectus per hoc testimonium simpliciter ad  
veritatem determinatur, non quidem ut testimonium  
est, sed ut fundatur manifestè primo principio: Quod-  
libet est, vel non est. Simpliciter enim essentiæ divi-  
næ repugnat falsum dicere, idque evidenter cognosci-  
mus. Quòd si ad hanc fidem accedat specialis appli-  
catio, quâ quis promissiones divinas de se in specie seu  
individuo veras statuit, iis nō solùm assensu intellectu,  
sed & fiduciâ voluntatis adhærendo, est ipsa fides salvi-  
fica, quam Spiritus Sanctus per verbum accendit,  
seu infundit.

§. 27. Hæc in universum certitudo opinionis, fi-  
dei humanæ & divinæ opponitur certitudini evidenti,  
& obscura dicitur. Quamvis enim ex parte infallibi-  
lis sit nempe certitudo fidei humanæ aliunde confirma-  
tæ & fidei divinæ; non tamen per eam rei natura evi-  
denter cognoscitur, propterea, quia omne testimoniū,  
remotum extrinsecum & accidentale est, non attingens  
rei essentiam per connexionem aliquam naturalem,  
nec quidditatem ejus declarans. Fieri quidem po-  
test, ut in argumento, in quo testimonium pro princi-  
pio ponitur, una propositio evidens sit; quandoqui-  
dem veritas testimonii totius orbis nititur repugnan-  
tiâ physicâ, & veritas divini testimonii repugnantia  
Metaphysicâ: non tamen altera propositio æquè evi-  
dens est, cum motiva, per quæ ad ei assentiendum in-  
ducimur, sæpe obscura sint. v.g. Quod Deus testatur

verum est: Deus testatur mundum interituum: Ergo id verum est: hinc major quidem habet evidentiam metaphysicam, sed non æquæ minor, quæ infideli probatur, quia scriptura Canonica revelationem divinam continet; & hoc iterum; quia id testatur Ecclesia toto orbe dispersa, & quæ sunt aliæ rationes, quæ non adeo evidentem notitiam faciunt, ut intellectum ad assentiendum cogant, quemadmodum color oculo objectus aliquem ad videndum & intelligendum cogit. Et, si vel maximè & Minor evidens esset, tamen non esset propositio necessaria, in quâ subjectum cum prædicato naturalem cõnexionem haberet: à naturâ enim interitus mundi remotum, eiq; accidentale & extraneum est testimonium. Proinde nullum testimonium ipsam rem evidenter ostendit, ut tam clarè ejus essentiam perspiciat intellectus quàm oculus colorem, multò minus appetitum sciendi explet. Sic cum probamus Deum omnipotentē esse: Qui potest omnia facere, est omnipotens. Deus potest omnia facere. E. est omnipotens: Major evidens est, Minor ex sacris literis probari potest, sed sic obscurè cognoscimus conclusionem; cum autem per principia ex inductione cognita necessariò cum omnipotentia connexa Minorem probo, utpote per independentiam evidenter cognosco, quod Deus sit omnipotens.

§. 28. Quare ipsi articuli fidei, quos ob testimonium divinum credimus, tametsi sunt penitus infallibiles & certissimi, in se tamen obscuri sunt, quod ipse docet Apostolus, *Ebr: 11. v. 1. 1 Cor: 13. v. 12.* quia cum eos veros statuimus, adhæremus testimonio, idq; tam diu, donec tandem post hanc vitam rem ipsam clarè videam⁹. Dixi in se obscuros esse, aliàs quoad modum proponēdi evi-

di evi-

denter ostendi potest, quòd in scripturâ contineantur. Solet tamen & huic notitiæ per principia remota & extrinseca quædam *evidentia* tribui, quam *moralem* vocant: Quia sic nobis aliquid perspicuum redditur per regulas prudentiæ seu Philosophiæ moralis, quæ docet, credendum esse id, quod vir gravis suo testimonio & jurejurando confirmavit. Simpliciter tamen ac propriè *evidentia* non est, sed obscuritas.

§. 29. Notitiâ fidei divinæ infallibilis certus est quilibet Christianus, se esse in gratiâ Dei. Habet enim testimoniū Dei de se salvando, cui fides innititur. Id quamvis exertis verbis in scripturâ non contineatur, per consequentiâ tamen evidentem optimè inde elicitur, quod sufficit, fatente Bellarmino *Lib: 3. de Justif: Cap: 8.* ut: Qui credit salvatur, seu est particeps gratiæ ac salutis. Ego credo E. sū particeps gratiæ. Major in scriptura passim habetur, Minor infallibiliter cognoscitur, tū evidenter per notitiâ reflexâ, vel ipsis Scholasticis fatentibus, ut vidimus. §. 19. tum obscure, quia creditur fide divinâ; quod sic ostenditur: Qui utens medijs ad salutē ordinatis, non resistit Spiritui Sancto, is credit: Deus enim in omnibus & singulis non resistentib' se fidem operaturū promisit. Ego utor medijs, & non resisto Spiritui S. quia abstineo à peccato mortali, seu contra conscientiam, quod iterum tam evidenter cognosco, quam me aliud quid agere, & contradictio est dicere, aliquod peccatum esse contra conscientiam admissum, & tamen non cognitum.

§. 30. Igitur habeo hîc verbum speciale divinum, quo fides infallibiliter niti possit, cū statuo, me credere. Neq; absurdum est, de vnâ eâdemq; re dari cognitionem

nitione evidentē & obscurā, scientiam & fidē rationē  
 diversi medii probandi, ut Deum esse justū, & eviden-  
 ter & per revelationem scimus; quā de re Mendoza,  
*Disp: 10, de Anima, Sect: 5.* Certus igitur sum certitudi-  
 ne fidei divinæ, cui non potest subesse falsum, me ha-  
 bere favorem Dei, attestante id ipsum verbo Dei per  
 consequentiam ex scripturā deducto: Idq; inprimis  
 obsignat internum testimonium Spiritus Sancti, hanc  
 veritatem nobis remotā omni dubitatione persuaden-  
 tis. Vid: D. Henricus Hopfnerus in eruditis de Ju-  
 stificatione, & in specie de certitudine gratiæ disputa-  
 tionibus. Adversarij autem præter fidem requirunt  
 ad justificationem & gratiam consequendam dilectio-  
 nem, contritionem intensivè, vel appreciativè summā,  
 ut loquuntur, & cæteras virtutes, quarum perfectio &  
 intensio, quod fatemur, nō nisi conjecturaliter cogno-  
 scitur: Unde oritur certitudo opinionis, quæ vix cer-  
 titudo dici meretur. Præsentia fidei salvificæ secun-  
 dū scripturam nobis sufficit, eaq; infallibiliter atq; e-  
 videnter cognoscitur.

§. 31. Tandem ad certitudinem in universum cō-  
 parandam, sive evidentem sive obscuram, multum va-  
 let, tum bonitas ingenij, tum affectus voluntatis. In-  
 genium bonum facilè omnes rei proprietates à summā  
 ad imam percurrere, & inter se, ut & cum aliis compa-  
 rare potest ac vim mediorum probantium perspicere,  
 quæ nisi exactè cognoscantur, præsertim quoad nexū  
 cum conclusione intellectus determinari ad veritatem,  
 & certus reddi non potest. Atq; hinc fit, ut multi,  
 qui ob tarditatem ingenii rerum naturas penetrare nō  
 possunt, id palām falsum atq; absurdum putent, quod  
 sæpe ipsa est veritas. Ut enim nonnulli ob hebetu-  
 dinem

434.  
dinem oculorum cœcutiunt etiam in ipso meridie; sic quidam ob imbecilitatē intellectus caligant ad ea, quæ sæpe manifestissima sunt omnium.

§. 32, Affectus voluntatis facit ad acquirendam certitudinem, quatenus aliquis amore rei cognoscendæ ductus, eam diligentius perlustrat, & in veritatem majori industriâ inquirit. Unde & per affectum voluntatis impediri potest intellectus, ut in cognitione maximè evidente non determinetur, quæ aliàs simpliciter necessitatem assentiendi ei afferre solet, non quod medium demonstrandi non sit sufficiens, vel res non satis clara, sed quòd vim ejus non sentiat intellectus impeditus affectu, vel imperio voluntatis. In ijs quidem, quæ evidentiâ Physicâ & Metaphysicâ cognoscuntur, necessariò intellectus determinatur, ut obsistere non possit, nec voluntas, ut contrarium statuatur, ei imperare potest, quandoquidem sic independenter à voluntate objectum cognoscitur. At antequam medium demonstrandi, & consequentiam plane perspiciat, voluntas, ut dissentiat, & quasi clausis oculis clarissimum lumen non videat, facere potest, sicut & impedit, quò minus aliquis fateatur id, quod verum esse, manifestè convictus est. Quid enim est quod verbo labefactari refelliq; non queat? At si suam quisq; mentem consulat, multa sunt, quibus obsistere non possis, ait *Aristot. Lib. 1. post. Anal. C. 8.*

§. 33

§. 33. Atq; sic in cognitione non evidente opinionis & fidei potissimum dominatur affectus, & supplet defectum medij probantis, sicut videmus homines de plebe sæpe arctè tenere aliquam sententiam, & paratos esse interdum pro eâ vitam profundere, cum tamen non noverint, ex quibus principijs deducatur, aut quibus rationibus infallibiliter persvadeatur. Et hinc jubemur in Scripturis captivare rationem sub obsequium fidei & imperare intellectui, ne dissentiat etiam in ejusmodi casu, in quo necessitate quâdam ad assentiendum adigi non potest. Sic hæretici quoq;, sed ex pravâ dispositione, assentiuntur suis erroribus, eosq; ad necem usq; defendunt, cum tamen ipsi per media sufficientia persvasi non sint. Atq; adeo voluntas in multis juvare potest determinationem intellectus ad veritatem, in multis etiam impedire; multi labore inquirendi veritatem profundo puteo demersam deterrantur, quidam amici sententiam, quantumlibet falsam, deserere nolunt, nonnulli contradicendi libidine in adversum abeunt, alii aliis de causis opinioni alicui ex levissimis conjecturis enatæ, velut ad saxum adhærescunt, ut vel hinc proclive sit colligere, unde tot discrepantes & adversâ fronte pugnantes sententiæ in omnibus disciplinis oriantur.

